



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Venatio Sacra. Sive Puer Amissus**

**Cabilliau, Baudouin**

**Lovany, 1642**

Elegia XIX. Omnia in omnibus Christus præsens agit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70011](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70011)

## ELEGIA XIX.

Omnia in omnibus Christus  
præsens agit.

1. *B. Virgo enarrat Filium suum omnibus in rebus omnia agere, & adesse; sibi autem unice abesse.*
2. *Felicitatem suam deprædicat, si adforet.*
3. *Pristina sua gaudia commemorat, & suam præsentem calamitatem exaggerat.*

**E**st mihi, sitque diu vitæ, precor, vnicus hæres,  
Vnicus; & vitæ viuida vena meæ.  
Si vacat; illius dotes numerabo, vel artes.  
Sed numero flores vincit, & astra suo.  
Has tamen ipsa canam ( nec erit labor ) illius artes:  
Et chelyn, & plectrum suggerer, vnde canam.  
Nobile cu ique libro prætexit pagina nomen;  
Atque stylum doctis imbuit ille favis.  
Si qua leui Zephyrus motare cacumina cedro.  
Cœperit, hunc Gnati quis neget arte regi?  
Naiadas argutæ si sibilus influat auræ.  
Mobilis in crispis ludat & vnda modis:  
Tum dico, meus errantes Puer imperat vndas  
Ludere: de Verbo discit & aura loqui.  
Si volitant pictæ magnu in per inane sorores:  
Dico; Puer volucres ditigit ille vias.  
Si docili sulcōs infindit arator agello;  
Dux Puer hinc rectum vomeris vrget opus.  
Si Zephyro stratum stagnis silet omnibus æquor;  
Gratulor ab Gnato vitrea regna regi.  
Menstrua Virgo nouos sibi quando resingit honores,  
Accipit ab Christo nobile luna caput.  
Sicæcis obsignat iners nox sidera nimbis;  
Euoluit piceis hic Puer astra globis.

Sicæcis

Si cœlo facies aridet amæna sereno ;  
     Ex oculis IESV lucet Eoa dñs.  
 Nodoso grauidæ rurgent in palmite gemmæ ;  
     His rude de gemmis parturit ille merum.  
 Si crocon, & nardum radijs sol adflat odoris :  
     Veris odora croco gaudia Gnatus alit.  
 Immensi maris ille breui vim frangit arenâ :  
     Ille pares iusto pondere librat aquas.  
 Denique quidquid agi sub vitroque videbis Eoo,  
     Vnus id omne meus me sine Gnatus agit.  
 Primus, & vnum agit Puer omnia, & omnibus imus  
     Hæret agens rebus, quas foris ambit, init.  
 O felix hac prole Patens, quis diceret hospes !  
     Sic erat : ast malim dicere : rursus erit.  
 Sed qui cuncta regit, velit ô Puer ille parentis,  
     Vt solet, arte regi, cuius amore regar !  
 Sic precor, inquit Amor MARIAE : qui quærit Amorem  
     Christe tuum fratris gaudia frater amat.  
 O ego tum felix, si nunc in Virgine vultum  
     Fixeris, vt dulces hauriat inde faces.  
 Non sine flore faces, ô quæ tunc gloria formæ !  
     O quis tunc animo splendor, & ardor erit.  
 Sic ego sperabam ; quæ non id mater alumno  
     Sperat ebi ipsa suo, cui tot amoris opes ?  
 Sed quid abit, dulcesque abiens simul abstulit ignes,  
     Et decus omne, meo si quod in ore sterit.  
 Altera quæ Rebecca, Rachel simul altera, & ipsa (a)  
     Altera Sara, Puer ni mihi décesset, cram.  
 Os candore rosas, anteiret honore pyropos ;  
     Adflaret radijs si Puer ora suis.  
 At nunc vt miseram iam candor liquit ; olin  
     Pallor, & ante genæ purpura squalor erit.  
 Quæ cœlo facies, ubi iam sol exsulat astris ;  
     Hæc eadem Matri est, si puer exsul abest.  
 Ante quidem pulchram quam sol mirere Neëmi, (b)  
     Nunc, & amara parens, ipsa MARIA gemit.  
 Omnibus è venis sanguis dimanat amaras.  
     In lacrymas, aloenque ægra medulla bibit.

Hic myrræ facies, sed saucia myrra sub ipso  
Sole fuit: lacrymor, sol quia nullus ades.

(a) *Rebecca, Sara, Rachel pulcherrima Patriar-*  
*charum coniuges.*

(b) *Noëmi ob famem diu in Moabitide hospes,*  
*postliminiò redux, ex Noëmi, id est pulchrâ, iubet se*  
*vocari Mara, siue amaram, ob amissos liberos.*

### ELEGIA XX.

B. Virginis cor, ceu punctum, in liquido lacrymarum circulo subsidit.

1. *Cor B. Virginis, ut punctum, stat in lacrymis;*  
*cui O, quod suspirat, fit circulus.*
2. *Miratur vario solis in recursu Puerum adhuc*  
*abesse.*
3. *Vt solsticium bius anno recurrit, & sol tum quasi*  
*stat in punto; sic optat, ut puer qui sibi est*  
*sol, se sistat matri, eiusque cordi insidat.*  
*Ideoque monet ut redeat.*

**M** Ater inexhaustos ubi nubila depluit imbræ;  
Confluxit bibulo plurima lympha solo.  
Vnde coit gemino de fonte volubilis orbis  
Lypidus: his lymphis virgo cor abde tuum.  
Vt delphin, hoc matris amor natat aduena stagno,  
Spesque, metusque regit pinna biremis iter.  
Omnis eò geminis oculis ubi cogitur humor;  
Hic graue cor punctum triste doloris agit.  
Multa fugit varijs hinc linea fluxa querelis,  
Vnde sibi luctus circulus amplius ear.  
O suspirat hians, simil' uber it vnda doloris;  
Lugubris vnde nouis fletibus orbis ear.

O iterum